

tuntur. Luphtibejus, Gallipolis Sangiacus, maritimi imperii præfectus, Suleimanus Acarnan, Maurusque ab Alexandria octoginta circiter triremes coegerant, in quibus complures milites, atque in iis non exiguam prætorianorum manum immitterant, ut vel arcta obsidione Coronem circumcingerent, aut cum Hispanica classe, si occasio posceret, decertarent. Mendotius, qui Coronæ præerat, se terra, marique obsideri, atque ad illam sustinendam commeatu potissimum egere, Petro Toletano, Neapolitanorum Proregi, significavit: ab Andrea quoque Auria maturam opem poscebat, qui, coactis circiter triginta onerariis navibus, ac viginti septem triremibus, Neapolim contendit, veteranosque milites Hispanos, Roderico Macicao duce, navibus imponit. Hæc dum comparantur, ad Coroneorum animos confirmandos, cum expedita trireme Christophoro Palavicino Coronem misso, ipse Neapoli Messanam provectus, cum omnem spem subsidii inferendi in celeritate sitam animadverteret, Zacynthum statim est profectus. Ibi licet majori triremium numero, ac militum robore instructam Turcarum classem, Coronem obsidere edoctus; attamen ab ope Coroneis ferenda minime deterritus, Acritem, ubi in statione Turcæ cum classe constiterant, superare nititur. Inde, Turcis in altum provectis, dum invehere urbi subsidia Auria contendit, avertere Turcæ moliuntur; vario eventu pugnatum est, utrinque haud mediocri damno vel onerariis navibus, vel triremibus illato; qua opportunitate arrepta, præfectus Mendotius ex urbe prodiens in hostium castra irrupit, qui Christianorum conspecta classe, consternati in fugam effundebantur; ex iis nonnulli interfecti, annonæ, atque commeatus abunde in urbem est importatus. Auria frumenti, vini, tormentarii que pulveris vim inferri jussit, Hispanorum cohortibus Macicai auspiciis ad Corones præsidium relictis.

Hieronymus Canalis præfectus eorum, quæ a Turcis, ac Cæsareanis gererentur, spectator tantum aderat, ab iisque se abstinebat, quæ gignere in utrorumque animis semina suspicionis possent: licet arduum valde esset, ita se difficillima in re gerere, ut omnium querelarum causæ tollerentur, cum utrinque quidquid Veneti agerent, solerti indagine disquireretur. Proinde Cæsaris orator vehementer conquerebatur, quod sub-

1533

*Luphtibejus, classis præfectus, Turcarum copias comparat.*

*Mendotius præsidii Coronæ præfectus.*

*Andreas Auria Neapolim cum classe proficiscitur.*

*Rodericus Macicai, Hispanorum militum dux.*

*Corone a Turcis obsessa.*

*Mendotius Corone ingressus Turcas fundis.*

*Andreas Auria præsidium Corone imponit.*